



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 11. Macedonius Constantinopoli pellitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. cum litteris, in quibus profitebatur, re-
A. C. 511. cipere se duo prima Concilia, nempe

Nicenum, & Constantinopolitanum.
De Ephesino, & Calcedonensi nulla men-
tio. Hac fraude deceptus Macedonius
litteris subscriptis, quæ res Catholicos
non parum offendit, sic enim Henoti-
cum recipiebat, cui jam in sua Ordina-
tione subscripterat. Igitur ad Monaste-
rium S. Dalmatii se contulit, ibique ut
se purgaret apud Monachos, quibus scan-
dalum creaverat, Apologiam edidit, af-
firmans, se recipere Concilium Calce-
donense, & credere, illos, qui non reci-
perent, esse Hæreticos. Accepta hac
Professione Liturgiam cum ipso celebra-
runt.

Theoph.
p. 133.

§. XI.

Macedonius Constantinopoli pellitur.

Interea Anastasius Imperator Clericos
Monachosque, in Hæresi sibi conser-
tientes, permovit, ut alium Episcopum
eligerent, Imperatrice Arianna, & toto
Senatu ingemiscientibus, quippe Mace-
donius ob vitæ puritatem, & Fidei Sin-
ceritatem, quamvis passus esset se deci-
pi, amabatur ab omnibus. Ut aliquam
Depositionis causam fingeret, Imperator
duos juvenes subornavit, qui traditis
Præfecto Constantinopolitanæ Civitatis,
& Officiorum Magistro libellis Mace-
nium

nium nefandi flagitii, & Hæresis accu- Sæculum VI.
sarunt. Quidam etiam alii Presbyteri, A. C. 511.
& Diaconi Catholici accusati. Imperatoris mandato Celer ex Domo Episcopali Macedonium vi abstraxit, clamantem, paratum se objecta crimina diluere non in Prætorio modo, sed etiam in Theatro coram toto Populo. Imo Evnuchum se esse manifestavit, ut primæ Accusationis falsitatem demonstraret. Cum Imperator eidem Celero officiorum Magistro Authographum Actorum Concilii Calcedonensis auferre præcepisset, illud Macedonius Sigillo munatum in Sanctuario depositus. At Spando Calepodius majoris Ecclesiæ Oeconomus illud suffuratus, ad Imperatorem detulit, qui mox flammis tradi jussit.

Tum Anastasius Imperator intelligens, frustra se cupere, ut in *Judicio lib. XVI,* condemnaretur Macedonius, quem populus non ignarus, esse infontem, defenderet, eum noctu ab armatis Calcedonem abripi jussit, Eucaitam deinde in Paphlagoniam deducendum. Clericorum aliqui in carcerem missi, alii fugerunt, non nulli in Phœnicen delati, non nulli Romam usque pervenerunt. Hoc modo Macedonius Constantinopoli pulsus, Anastassi anno 21. Secundino, & Felice Consulibus, Indictione quarta, id est, anno 511. postquam Constantinopoli sedisset

*Niceph.**c. 26.**Theod.lett.**p. 563.**Theoph. an.**21. Marcell.**& Chron.*

Sæculum VI. sedisset annis sexdecim. Altera die Im-
 A. C. 511. perator Episcopum Constantinopolita-
v. Not. in num ordinari jussit Timotheum Presby-
Theoph. terum, atque Ecclesiæ Ærario Præfectum,
Theod. Lett. quem contemptim *Litrobulum & Celon*
& Vales. appellabant, quia incontinentiæ infamia
ibid. laborabat. Dum Ecclesiæ ingredieba-
 tur, antequam Sacris operari inciperet,
 Macedonii Imagines, pro more ibi pos-
 tas, auferri jubebat, præcipiebatque in
 omnibus Missis Symbolum Nicenum re-
 citari, cum id alias tantum in Parasceve,
 Episcopo populum catechizante, reci-
 tari soleret. Ita ostentare volebat, quan-
 to zelo ferretur in Concilium Nicenum,
 quod a Macedonio sperni dicebat.

Interim cum Imperator reflecteret a-
 nimum, se relegasse Macedonium nec
 judicatum, nec depositum, eum ab Ho-
 minibus, qui simul Judicis, testium, &
 Accusatoris partes agebant, jussit da-
 mnari, eique Depositionis suæ Senten-
 tiam per manus quorumdam Episcopo-
 rum, & Presbyteri Cyziceni misit. Ma-
 cedonius, priusquam, quid sibi dicerent,
 audiret, interrogavit, an Concilium Cal-
 cedonense reciperen. Ipsi: *Quis es*
tu, cui istud ex nobis querere liceat?
 Macedonius dixit: *Si Sabbatiani, aut*
Macedoniani Sententiam Depositionis mi-
hi afferrent, an putatis, e re mea factu-
rum, si acquiescerem? Ita nempe inge-
 bat,

Theoph.

p. 134.

bat, nullam Hæreticis se deponendi esse Sæculum VI.
Potestatem. Itaque re infecta redie- A. C. 511.
runt, & Macedonius in locum exilii,
quo jubebatur, migravit. Timotheus *Id. p. 133.*
Patriarcha Neo-electus Diptychis inse-
ruit nomen Joannis Nicajotæ Patriarchæ
Alexandrini, eique Epistolas suas Synoda-
les misit. Eas etiam Flaviano Antio- *Vita S. Sa-*
cheno, & Eliæ Jerosolymitano misit, pe-
bæ.ap. Cotel.
tebatque Imperator, ut Depositionem *p. 197.*
Macedonii, & Timothei Ordinationem
suo calculo confirmarent. Epistolas Sy-
nodales Timothei quidem receperunt,
at Depositionem Macedonii approbare
recusarunt.

§. XII.

Concilium Sidonense.

Imperator utriusque vehementissime suc-
censuit; cumque Elias Patriarcha inde
tempestatem Ecclesiæ funestam omina-
retur, Constantinopolim misit S. Sabam
inter Abbates Palæstinæ virtute clarissi-
mum, qui Severo, aliisque Hæreticis ex
Oriente, Constantinopoli dominantibus,
resisteret. Palæstinæ Abbatibus in iti-
nere constitutis, Imperator Concilium
Episcoporum ex Oriente, & Palæstina
Sidone congregari voluit, cui præesse
jussit Sotericum Cæsariensem ex Cappa-
docia, & Xenajam Hieropolitanum, in-
fensissimos Concilii Calcedonensis ho- *Theoph. 131.*

Hist. Eccles. Tom. VII.

Q stes,